

statum pupilli sunt egressi, et se ipsos per aetatem tueri valent.

DCCXLV. Posita eadem ratione idem rationatum poni debet. Quum ius parentale in generatione, et debito educandi fundatum sit, vtraque autem haec causa in patre aequae a matre obtineat, evidens est, potestatem in liberos vtrique parenti naturaliter esse communem, et alterutro autem mortuo ad superstitem devolui, seu ei adcrefcere; ast modus, quo potestas ab uno vel ab altero exerceatur, pacto etiam tacito determinari potest.

DCCXLVI. Ceterum, quum mater semper certa sit, pater autem aliquando incertus: quoniam in iure idem est, non esse et non adparere, naturale est, ut si foboles extra matrimonium fuerit suscepta, partus ventrem sequatur. *v. L. 24. D stat. hom.*

C A P V T XXVII.

De societate herili.

DCCXLVII. Operae nostrae suum valorem habent, certoque pretio aestimari possunt. Si quis igitur aut debito, quod pacto vel laesione contraxit, satisfacere, aut necessaria alimenta sibi comparare aliter nequeat, quam ubi creditori, vel alere volenti, operas domesticas pro sustentatione praestiterit, nulla dubitatio est, quin ad eas praestandas per propriam suam salutem obligetur, quum nec creditor ius suum adquisitum remittere, nec quisquam homini ad laborem idoneo vicium et amictum gratis praebere teneatur.

DCCXLVIII. Qui ius habet perfectum operas ab homine exigendi pro alimentis, *herus* est, vel *hera*, et qui in eo vivit statu, ut operas ita praestare obligetur, est in *servitute* late sumpta, *servus*, siue *famulus*, vel *ancilla*.

DCCXLIX.

DCCXLIX. Patet vero, inter herum et famulum intercedere societatem, quae iam *simplex* est, iam *composita*, semper vero *inaequalis*. Siquidem singula operarum genera, vel saltem species determinare pender ab arbitrio heri, cui porro potestas, seu imperium *herile*, in operarios sibi subiectos competit.

DCCL. In omni famulatu cogitari durabilis aliqua permutatio potest, seu contractus *facio*, *ut des*, vel *do*, *ut facias*; igitur *quantitas* et *qualitas* operarum et alimentorum, adeoque heri ac famuli iura et obligationes ex ipsa conventionione saltem tacita definiri debent.

DCCLI. Quod si pro alimentis certa substituatur pecuniae summa, tanquam eorum aequivalens atque mensura, nascitur locatio et conductio operarum, quarum pretium eminens, quia mercedis venit nomine, etiam qui pro ea operas praestant, famuli vel ferui *mercenarii* vocantur.

DCCLII. Prout operae vel *perpetuae* debentur, vel *temporariae*, dein vel *omnes*, vel tantum *certi generis*, etiam servitus vel *limitata* est, minus plena, imperfecta, vel *illimitata*, plena, perfecta atque *obnoxia*.

DCCLIII. Qui operas perpetuas et omnis generis debet, servus est stricte talis; eius herus dicitur *despota* vel *dominus*; ius enim habet de ipsa operarum substantia et consecrariis disponendi, ut potro servus nec sibi acquirere quidquam, nec alteri se obligari domino invito amplius possit. Ex quo, quid sit *servitus* stricte accepta, quid *societas despotica*, seu *dominica*, non obscure intelligitur.

DCCLIV. Societas herilis, in quam quis sua tantum sponte se addicit, est *ultronea*, quae vero vi et metu iusto contrahitur, est secundum quid *coacta*, utraque tamen pactum aliquod involvit, sine quo unio voluntatum, et unio virium atque obsequium exulare.

DCCLV. Itaque manifesta sunt haec enuntiata: I. naturaliter nulla datur coacta seruitus, s. d. primum posita laesione; II. secus homo seruiret quidem maioris mali vitandi causa, non tamen esset in seruitute iusta.

DCCLVI. III. Qui hominem iusta vi comprehensum siue *mancipium* detinet in compedibus, vim infert physicam, quae non cadit in voluntatem, talis igitur status societas nondum est. * IV. Bello captus non statim cogi ad seruitutem potest, sed solummodo, si factam laesionem aliter non velit, vel non possit reparare.

DCCLVII. In eo autem seruitus *vltronea* differt a coacta, quod quum prior pacto celebretur, non maius ius transferatur in dominum, quam seruus se transferre velle declarauit; contra quia posterior iure belli extorquetur, ius includit indefinitum, quodque iudicio victoris determinari potest.

DCCLVIII. Igitur seruus *vltroneus*, qui specialem elegit personam domini, et obligationem iniuit mere personalem, in alios transmitti nequit, nisi tacite saltem in id consentiat; alii iuste alienari poterit *mancipium*. Atque ob has ipsas causas nec seruo in sui locum alium domino seruum obtrudere unquam licebit.

DCCLIX. Si seruus obnoxius et *vltroneus* incidat in morbum, ut laborare amplius nequeat, dominus tamen perfecte obligatur ei victum et amictum praebere; is enim perpetuam alimentorum certitudinem cum obligatione ad omnes operas physice et moraliter possibiles contractu quasi aleatorio commutauit; quae ratio, quum non obtineat in *mancipio*, nec in seruo minus plene, eis tantum fauor necessitatis, si expositis, vel derelictis esset pereundum, suffragatur, et ius perfectum in res necessarias tribuit.

DCCLX. An autem *vernae*, seu proles ex ancillis natae ad dominum ancillae spectent, grauis quaestio est.

Ad-

* Cf. *Hobb. de Ciu. VII. §. 4.*

Adfirmat Pufendorfus * quod 1) par sit fructum corpus sequi, 2) quod proles nascitura non erat parentibus a domino iure belli occisis, 3) quod sumptibus domini alatur.

DCCLXI. Enimuero proles nec pacto, nec laesione se ad seruitutem obligauit, pater autem dominium, quod ipse non habet, aut ius parentale, quod mere personale est, non potuit in herum transferre; igitur dominus per seruum non nisi exercitium patriae potestatis acquirit, et ius in operas pro alimentis, quae porro ubi persoluerit soboles, libertati erit restituenda. *v. Grot. II. c. V. §. 29. n. 2.*

DCCLXII. Falsum vero est, partum hominis unquam in fructu esse, falsum quoque, eum qui mei natiuitatem non impedit, quum posset, ideo ius domini in me nancisci. Itaque firmum manet, nullam dari naturaliter originariam seruitutem.

DCCLXIII. Seruus est homo; omnia igitur humanitatis officia eidem sunt exhibenda, est iuribus perfectis connatis instructus, et hinc statum quidem aliquem moralem habet atque personam; sed quum omnia iura domino acquirat, ratione status adicititri persona recte ei denegatur.

DCCLXIV. Quare, quae apud plerasque gentes dominis in seruos vitae necisque potestas fuit, nisi ad statum collisionis referatur, cum scilicet seruus animum induit hostilem, nec alius eum coercendi patet modus, omnino iniusta est, et naturae societatis repugnat; haec enim tendere debet ad commune bonum, nec vilo pacto ius legibus naturalibus contrarium in dominum transferri potuit. Et inde liquet, cur seruus contra dominum, qui iniustam necem inferre paratus est, iure se tueatur.

DCCLXV. Licet tamen domino seruos inobedientes, vel erroneos, donec praesent, quae praestare obligati sunt, punire, persequi fugitiuos et ab iis, qui

ser.

* *De Off. H. et C. L. II. c. IV. §. 6.*

seruos forte corruerint, debitam petere damni reparationem. Et quia laesio, quam superior infert inferiori, *grauamen* vocatur, etiam seruus ius habet postulandi a domino, vt *grauamen* cesset, et si immanis fuerit domini faeuitia, domo excedere potest.

DCCLXVI. De damno, quod seruus sine vlla domini culpa intulit tertio, ardua est controuersia, an illud dominus resarcire, vel seruum extradere teneatur. Nos vtrumque negamus, quia 1) damnum is tantum resarcit, qui illius est auctor, 2) seruum vero retinens dominus iure suo vtitur, et in pari causa melior eius conditio esse debet tanquam possessoris.

DCCLXVII. Quid enim 3) si seruus extraditus alium iterum laederet? nulla sane esset sufficiens ratio, cur secunda vice laesus praeferatur, igitur maneat statim penes primum dominum; ne secus 4) innocens herus solus poenam sentiat, quam seruus facto suo promeritus est, quocirca sufficet talem seruum castigare *vid. Grot II c. XVII. §. 21.*

DCCLXVIII. Ita corruit Pufendorffii * argumentum, dum ait: seruus homo est, ergo obligatur damnum datum resarcire. Nam debet laesionem resarcire *ex re suo*, non *ex re domini*, cuius sunt operae. Quare data ratio non aliud euincit, quam quod, si seruus aliquid a domino tanquam proprium obtineat, vel liber fiat, damnum reparare teneatur.

DCCLXIX. Urgent, obligationem reparandi damnum esse connatam; igitur seruum cum hoc onere ad dominum transire. Ast obligatio haec est aduentitia, et supponit factum laesionis; onus ergo reparandi damni ad dominum tunc solum transfret, si seruus quemquam laesisset ante seruitutem.

DCCLXX. Nec magis obstat, quod addunt: 1) qui sentit lucrum, eum sentire damnum debere; 2) ius defensionis dari etiam in seruum, ergo et ius satisfactionis, secus 3) seruum posse alios laedere impune.

DCCLXXI.

* *De Off. H. et C. L. I. c. VI. §. 11.*

DCCLXXI. Nam α) dominus lucrum sentit ex operis serui licitis, et ex illis etiam damnus patitur, neutrum vero ad eum pertinet ex operis illicitis Dein β) laesus potest se defendere contra laedentem, aut dominus in nostra specie laedens non est. Denique γ nec ideo seruus manet impunitus, tenetur enim dominus illum coercere, ne alias factum laesionis adprobare videatur.

* Dicatur, an lex diuina positua sit, vt *Homicida morte puniatur*. Gen. IX. 6.

DCCLXXII. Quoniam seruitus societas est, etiam modi, quibus societates finiuntur, huc applicari possunt. Speciatim vero finitur 1) *manumissione*, quae est actus, quo dominus seruo ius operarum ex liberalitate et gratia condonat, quod facere utique potest, 2) *exilio*, si dominus inobedientem seruum per modum poenae expellat, eumque cogat a familia abire. Vtroque casu dominus iuri suo renuntiat. v. *Hobbes. VIII. §. 9.*

CAPVT XXVIII.

De domo, seu familia, et successionis iure.

DCCLXXIII. Si societas coniugalis, paterna et herilis, vel duae saltem ex his inuicem coniungantur, fit societas composita, quae *domus* aut *familia* dicitur. Familiae socii sunt I. *pater et mater familias*, scilicet coniuges, parentes et heri. II. dein *liberi*, seu filii et filiaefamilias, *famuli* et serui, hique communi *domeficorum* nomine veniunt.

DCCLXXIV. Omnis societas proprium suum finem habet; igitur et domus, quae societas est composita, et a societatibus simplicibus quasi totum a suis partibus distincta ad peculiarem quemdam scopum colligere debet.

DCCLXXV.